



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

241. An si religiosus, vel Monialis in delectationem morosam consentiat,  
violet votum castitatis? Ex p. 7. tr. 11. e. 34.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

## RESOL. CCXLI.

*An si Religiosus, vel Monialis in delectatione morosa consentiat, violat votum Castitatis? Ex p. 7. tr. 11. & Misc. 2. Ref. 34.*

§. 1. **N**egatiue respondet Eusebius de Herrera in *Decisionibus moral. decis. 6. num. 9.* vbi sic ait: [ Si el pecado de la delectacion morosa, milita contra el voto de castidad: Respondo, que no milita derechamente contra el voto: si bien se considera; porque no ay voluntad de quebrantarle, y donde falta la voluntad no allega la culpa, verb. gr. Si vn Religioso se estuuieste deleytando en si, en pensar en cosas veneras, pero no tiene voluntad, ni consiente en ellas, sino solo se recrea con ymaginarias o pensadas, pecca mortaliter, con pecado que se llama delectacion morosa: pero yo no dire, que este es sacrilegio, contra el voto de la castidad, pues tiene intento de guardarle, no confundiendo en acto que le periuoque, y contradiga. Como si vno hiziese voto de yr a Hierusalem, y se pudiesse a pensar, que es bueno estarle en su casa con reposo, y gustasse de pensar en esto, aunque con la voluntad no consiente en quedarle en casa, sino en yr a Hierusalem, no diremos que la delectacion que este tuuo militaua contra el voto, ni le quebrantaua, ni nadie le condenara por sacrilegio. Lo qual deben aduertir los confessoies, para no condenar por sacrilegio qualquiera pecado mortal del religioso. ] Ita Herrera.

2. Sed affirmatiua sententia adherendum esse puto, quam tuerit Reginaldus *10. 2. lib. 22. cap. 2. num. 14.* Trullench in *Decal. 10. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 7. num. 2.* Filiucius *tom. 2. tr. 33. cap. 7. num. 122.* Alphonsus de Leone *de Offi. & Potest. Confess. Recollect. 9. n. 155. & alij.* Dicendum est igitur eum qui habet castitatis votum absolutum, si complacet sibi in delectatione venera etiam sine affectu ad opus venerum, peccare non tantum peccato fornicationis, seu contra castitatem, sed etiam peccato sacrilegij, & contra Religionem. Ratio est, quia votum castitatis absolute emissum, comprehendit non solum opus externum, sed etiam delectationem omnem contra castitatem: cum de hac emissum sit absolute, & sine restrictione.

## RESOL. CCXLII.

*An Regularis, qui suadet alteri Religioso, vt adulterium committat, & perpetret, peccet contra votum Castitatis? Et docetur Monialem, vel in Sacris constitutum propriis tactibus secularem polluentem sine propria delectatione satisfacere in confessione, si dicat, tangens impudice alium pollui, nec tenetur explicare suum statum. Et qui pollutus est, sufficit dicere, alienis tactibus pollutus sum non explicans viri, aut mulieris secularis, vel Regularis. Ex p. 7. tr. 11. & Misc. 2. Ref. 27.*

Sup. hoc in tom. 1. tr. 7. Ref. 101. §. vlt. ad medium, a vers. Nota tamen, & melius ad rem in alio §. eius auctor.

§. 1. **A**D hoc dubium ita respondet Caramuel in *Reg. D. Bened. disp. 66. num. 986.* Monachus qui persuasione, vel cooperatione concurrit ad hoc, vt alius seu monachus, seu seularis vadat ad concubinam, peccauit quidem mortaliter, sed non contra suum votum Castitatis. Demonstratur; quia ipse non habuit rem eum tali pellice, sed fecit vt alius haberet, vnde tenetur in confessione dicere: Feci quod alius seularis, vel Religiosus iret ad secularem, vel religiosam; tenetur explicare statum peccantium, non vero suum; atque ideo si sit in habitu seulari,

non tenetur dicere se esse Religiosum: ratio est, quia ipse non peccauit contra votum, imo neque contra sextum preceptum Decalogi, sed contra quintum; fuit enim illis scandalo, & occasione vt peccarent contra sextum. Præterea in hoc scandalo, seu persuasione, nulla voluptas sensualis reperitur, seu delectatione, neque in hanc assensus, sed solum reperitur malitia voluntatis animam alterius occidens; & hoc est contra quintum. Hinc habes solutionem ad casum sequentem.

2. Petrus vt sollicitaret quandam Religiosam, vna est industria amici seularis, & tandem industria Religiosi, consulens, vt grauius peccaret, seularis an religiosus, siquidem vtrique æqualiter concurrit ad religiose illius præuocationem. Responde vtrumque peccasse æqualiter, quia neuter habuit rem veneram, sed fecit quod religiose haberet. Hæc omnia Caramuel; cui doctrina videtur adhaerere Sanchez in *Summ. tom. 2. lib. 5. cap. 6. num. 10.* Sed circa præteritam quaestionem vide Cardin. Lugum *de sacra. Pen. disp. 16. sect. 4. n. 152. & seq.*

3. Non desideram hic obiter adnotare quod Caramuel me citato docet etiam Monialem, vel in sacris constitutum propriis tactibus secularem polluentem sine propria delectatione, satisfacere confessioni si dicat tangens impudice alium pollui, nec tenetur explicare suum statum; & qui pollutus est sufficit dicere, tactibus alienis pollutus sum, non explicans viri aut mulieris, seularis an regularis. Sed in vtrouque casu dissentit P. Magister Candidus *tom. 3. disp. 1. ar. 24. dub. 5. & 6.* Quia, ait ipse, grauis iniuria contempra videtur inferri sacre professioni religiose, & sacri ordinis eo ipso, quo quis vitur tactibus profecti, & constituti in sacris Ordinibus, vt instrumento ad immundissimum hoc peccatum contra naturam perpetrandum; Ergo cum hæc sit circumstantia grauior euidenter aggrauans, est explicanda in sacro Penitentia sacramento. Verum aduersus amicissimum P. Candidum non solum nomine, sed etiam moribus & doctrina, opponam ex sua inclita Religione P. M. Nic. Moscicentem in *Tyrocinio S. Aris Penitentiar. p. 2. §. de Luxuria, num. 106.* vbi sic ait: Nota quod quando mollioris committeretur tactibus Religiosi, vel in ordinibus maioribus constituti: tunc si qui patiens seularis est, non tenetur amplius dicere, nisi sic patiens sum voluntarie pollui tactibus alienis. Et viceversa, Deo dicatus, satisfaciet dicendo: Tangebam alium impudice vsque ad pollutionem eius. Neque tenetur explicare se esse Deo dicatum per professionem, nisi ratione scandali, vel nisi etiam si illi interuenierit pollutio, siue voluntaria indirecte, videlicet in causa: (quo casu solus Deo dicatus explicare debet se esse talem) siue propter mutuum tactum, quo casu seularis etiam addere debet circumstantiam complicitatis: quia ibi persona sacra violata est. Ita Moscicent.

## RESOL. CCXLIII.

*An ingressus mulierum in Claustra virorum Regularium prohibeatur sub peccato mortali? Et in hoc prohiberi sit in Bulla Pij V. & Greg. XIII. ita vt non excusentur à mortali, & excommunicatione Et notatur feminas, que in casibus permissis ingressæ sunt in aliqua loca Monasterij, excusari ab excommunicatione, etiam si postquam ingressæ sunt, ad alterius loca progrediantur, &c. Ex part. 4. tract. 4. & Misc. Ref. 179.*

§. 1. **A**D hoc dubium ita respondet Layman in *Theol. moral. lib. 4. tractat. 5. cap. 12. num. 4.* ingressum mulierum in monasteria virorum Regularium